A Scriverio, in Curia
... senatori.
... 7. July 1641

Nobiliss.me et amplissime Domine:

Insigne Carmen tuum, pari ab affectu ac industria profectum, utrique Principi, quod mihi siquidem mandaveras, obtuli; ornatum Urbis, quantum pro merito potui, pro amicitia debui. Respondit utriusque nomine Imperator Pater, plurimum se debere tibi; gratias item habere quam maximas, quod srecessibus districto negotijs placuerit in eas amoenitatis excurrere, non tam eruditioni ostentandae, quae abunde est nota, quam demonstrando in Patriam et res Aulicas amori ac benevolentiae plane singulari. Superest, ut gratias agam, quas ago, meo quoque nomine, Vir Amp.me quem de potiori turba seligere voluisti magnae humanitatis tuae vilem proxenetam. Rubor enim ille mihi incussit, cogitanti nescio quo fato, neglexisse me nuper offerre tibi dissertatiunculam de Organis Ecclesiarum, fadiocati Regij, typis vulgatam. quod si aequalibus ... placabilis es, neque adhuc singularem illam humanitatem perdidisti, nunc demum ut perdas potius a te audio, atque ut, expressis rigide argumentis, aperte significes τὸν πρέσβυν, Τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη. Sententiam denique de sententijs dicere assuetus; de mea dicas, quasi e Tribunali Curiae, a quo nec provocatio est. Expecto quam mox compotem me tanti beneficij facias, et castigando quoque doceas quam non inter amicitiae tuae tirones sit

Tibi devotiss.